



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

quod beneficio non vincitur ; adamantineum,
quod percussum non frangitur ; indocile,
quod admonitionibus non eruditur ; humile
& abjectum , quod sine verberibus non com-
movetur !

C A P . XXII.

I Taque, exsurgens in ira tua, gladium exeru-
isti , arcum parasti , sagittas emisisti , ac du-
plici me deinceps vulnere consuiciasti ; uno
in corpore, altero , multo acerbiori, in animo.
Nam primo, cervix isthæc mea durissima , qua
tibi inflecti nequibat, sanie illuc ex capite de-
fluente intumuit : tum , ex loci propinquitate,
adeo inflatæ sunt fauces meæ , ut libera respi-
randi facultas non esset, nec concluso jani pene
ostio , aliquid fere cibi vel potionis illabi in
stomachum posset. atque hæc erat medicorum
sententia , ut , si vel pauxillulum ad id loci flu-
xionis accessisset, continuo præfocatus extin-
gueret. Sed tu vere Dominus es , qui vulneras
& mederis , percutis & manus tuæ sanabunt.
Rem miram ; præter omnium expectationem
sanies illa , via sibi intra fauces facta , foras
erupit : qua eruptione, ingens colli ac fauciūm
tumor desedit. Itaque, primum interclusus spi-
ritus meare laxius cœpit , tum libere sicut an-
tea ferri ; atque eadem hora , collabentes jam
vires , cibo ac potionē suffulsi. & , quanquam
faniei vis illa, cui ad exeundum aditus alii duo
aperiendi fuere , aliquot mihi mensium ne-
gocium exhibuerit , attamen opinione cele-
rius multo convalui.

C A P .